

ut ne morbus iterum recidat, manente adhuc materia efficaciore; vel ista ad alia loca translata, morbus a primo diversus fiat; vel ne facile in morbum diuturnum transeat relicto intus fomite efficaciore. Iste enim, permanens systema quidem motuum aequabilium debili sua operatione perturbat (§. 15), tarde et longo tempore eos debilitans; et hinc pravam humorum temperiem inducit (§. 12.); et ex ea pessimam mollium viscerum laesionem, obstructionem nempe, vel duritiem, vel exulcerationem, atque morbum cum tempore consumentem parit (p).

§. 18. Ex quibus patet, quod quaelibet causa efficiens aut in toto corpore, aut in quadam ejus parte, prius quidem humores attingit, facilius etiam indolem eorum fluxilem et facile mutabilem depravat (§. 17.) (q), atque cum iis commissa et circumacta nervos statim et fibras irritat, cujus irritatio totum systema motuum facile excitat, valdeque perturbat, ac totam illius vim aequabilem subvertit; hoc est statim usum aequabilem motuum laedit

(§. 15.)

---

(p) id. ib. L. II. p. I. sect. III. 3. — 6. (q) id. ib. L. I. p. II. sect. VI. 2. 4.